



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Sect. III. Homines non à coactione tantùm, sed etiam à neceßitate sunt  
liberi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

SECTIO TERTIA.

Homines, non à coactione tantum, sed etiam à necessitate sunt liberi.

illo volumine, quod tamen totum fere ex Calvini, aliorumque sectariorum fragmentis est confarcinatum, ex quorum spoliis in ingentem molem excrevit, nec quidquam prope in illo est alicujus momenti, non opinio, non auctoritas, non ratio, quam ex hæretici alicujus scriptis non videatur desumpsisse, ut clarissimè ostendit P. Stephanus de Champs erudito illo libro de hæresi Jansenianâ inscripto.

VI. Jansenius itaque, nec dignitatis suæ, nec fidei quam profitebatur memor, Lutheri, Calvini, Butcheri, aliorumque Ecclesiæ perduellium placita mordicus defendit, nervosque omnes contendit, ut eorum dogmata omni modo stabiliat: hoc verò sub specioso, quamvis e mentito S. Augustini nomine ita præstat, ut lector, si caveat, in errorem facile induci possit, dum scilicet venenum melle tectum, sub D. Augustini larvâ hæreses proponit. Qua de causâ multi non immeritò existimant perniciosiorem, periculosiorem cerè librum editum nunquam fuisse.

VII. Hoc proinde Jansenii opus, ubi primum in lucem prodit, obviis ulnis exceperunt hæretici, quod nimirum in eo parentum suorum, primorum scilicet hujus temporis sectariorum lineamenta passim animadvertent. Hunc inquam librum arripuerunt avidè, mirisque exornarunt præconiis, nec ullum laudandi fecerunt finem: ac denique ubi Pontificio fulmine percussus est, totis viribus defenderunt: suam nimirum in eo agi causam arbitrabantur, nec cadere Jansenium posse, quin ipsi in eandem unâ ruinam pertraherentur.

VIII. Opposuerunt se e contra Jansenio viri quidam eximi, doctrinæque & zelo fidei insignes, Lovanii primum, ut ubi ortum est malum, illic oriretur remedium, nullamque non adhibuerunt operam, ut nascentia jam, aut renascentia potius falsa hæc perniciosissimaque dogmata convellerent, ac rem, quam magno orbis malo natam cernebant, in radice extinguerent. Sed, ut mala pertinacius hærent, altius hominum animis insederat, quam ut statim evelli posset. Id tamen horum conatibus effectum, ut (quæ ipsorum erat apud bonos omnes auctoritas) lenius serperet virus, nec facile quisquam ea probaret, quæ ab illis videbat improbata. Hos deinde alii & alii in variis Europæ partibus secuti, prædictos errores eruditissimè etiam confutarunt, detractaque, sub qua delitescabant, larvâ, suis eos coloribus cernendos omnibus proposuerunt, & hac ratione factum est, ut fucatum à vero, adulterinum à sincero, vitiosum ab integro cuncti tandem discernent. Summi denique Pontificis (penes quem de rebus hisce pronunciandi plena est potestas) sententiâ liber is rejectus est, & anathemate percussus: sicque emerfit aliquando victrix veritas, ac dissipatâ, qua ad tempus intercipiebatur nube, dispersisque tenebris, fulgentissimos suos radios longè lateque diffudit, seque omnium præbuit oculis intuemendam.

IX. Obstrepunt tamen etiamnum nonnulli, sui que sensus plus æquo tenaces, non privatim tantum mussitant, sed palam etiam obloquuntur, & quicquid in harum damnatione positionum factum est, injustè factum clamitant, quodque, in illis præsertim, qui orthodoxi videri volunt, planè est intolerabile, amplecti eas adhuc audent, summoque conatu defendere; denique his hominibus potius est Jansenii nomen, quam sanctiones Apostolicæ. Nisi alio hodie igne arderent aliqui, quam igne Spiritus Sancti, non tam proni essent ad se Ecclesiæ scitis opponendum, hæreticæque dogmata asseruenda.

R. P. Comptens Theol. Scholast. Tom. I.

LUTHERUS, Calvinus, & alii tum recentiores tum antiquiores hæretici, ut sectione præcedente vidimus, solam coactionem, seu vim ab extrinseco illatam ob stare dicunt libertati: unde quantumvis ad agendum quis necessitetur ab intrinseco, si tamen ab extrinseco non cogatur, operatur, inquit, liberè, neque necessitas, ut aiunt, quæ est ab intrinseco, quidquam vel merito obstat, vel demerito.

Eodem etiam penicillo, ut ibidem vidimus, libertatem depingit Jansenius, nec aliam lædere eam ait necessitatem, quam coactionis: sic tom. 3. lib. 6. cap. 6. Sola, inquit, necessitas coactionis repugnat libertati: & hoc idem sæpe repetit & fulissimè probat. Non longè etiam ab eodem loco sic habet: libertas arbitrii in peccando cum peccandi necessitate consistit. Quod ejus effectum, ut ulterius non differam, apertè repugnat S. Augustino, qui to. 1. lib. 3. de libero arbitrio, cap. 18. contrarium clarissimè docet his verbis: *Si laboriosum est, inquit, omnia mandare memorie, hoc brevissimum tene: quæcunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur.* En ut S. Augustinus, non coactionem tantum, sed omnem omnino causam, sive ea extrinseca sit, sive intrinseca, si resistere ei nequeat voluntas, libertatem tollere affirmat, & potentiam peccandi. Ex quo sequitur, vel ipso S. Augustino judice falsum esse dogma illud hæreticorum, quod tam operosè, tantaque curâ & conatu firmare nititur Jansenius, solam scilicet coactionem in naturâ lapsâ tollere libertatem, merendique ac demerendi potentiam. Hæc obiter in præsentem; de mente enim S. Augustini fusè postea, ubi luce clariùs ostendetur Sanctum hunc Doctorem Jansenio & hæreticis hac in parte esse è diametro oppositum, & ad actus nostros, ut vel præmio digni sint vel penâ, libertatem non à coactione tantum requirere, sed etiam à necessitate, plenamque in operando indifferentiam.

Dicendum itaque, certum omnino esse, ad libertatem, merendique ac demerendi potentiam, requiri immunitatem, non solum à coactione, sed etiam à necessitate: ita constans & conspirans Theologorum, imò Catholicorum omnium sententia, uno fortassis excepto Alphonso de Castro, qui incautiùs loquitur; quem tamen benignè interpretatur Bellarminus lib. 3. de gratiâ & libero arbitrio, cap. 4. & alii, ut nimirum, dum libertatem esse dicit, quæ opponitur coactioni, per coactionem intelligat quamlibet determinationem ad unum. Quo etiam modo intelligi possunt alii, si qui insinuare interdum videantur libertatem in immunitate à coactione sitam esse: coactionem quippe latè sumunt pro absolutâ necessitate, quæ ita res fit, ut penes operantem non sit eam omittere.

De hac autem sententiâ, libertatem scilicet à coactione ad bonè vel malè agendum sufficere, quantumvis voluntas operetur necessariò, sic loquitur S. Thomas q. 6. de malo, quæ est de electione humanâ, seu libero arbitrio: *Hæc opinio, inquit, est hæretica: tollit enim rationem veritatis & demeriti*

I. Hæreticorum de libertate error breviter recensetur.

II. Jansenii de libertate sententia plenius refertur.

Jansenii opinio doctri-næ S. Augustini a rectè opposita.

S. Augustino judice ruit hæreticorum & Jansenii de libertate sententia.

III. Ad bonè vel malè agendum non minus requiritur libertas à necessitate, quam à coactione.

Quid per libertatem à coactione intelligant nonnulli.

IV. De opinione libertatem in immunitate à coactione sitam esse nonnulli. S. Augustino judice ruit hæreticorum & Jansenii de libertate sententia.

Perniciosissimus simul & periculosissimus est hic Jansenii liber.

Jansenii liber hæreticis opprimè gratus.

Hæreticorum in Jansenii librum studium.

Jansenii liber à caris impugnavit.

Laudatissimi doctorum virorum conatus.

Victrix veritas è tenebris, quibus assidue habet, emerfit.

Intoleranda quorundam hac ætate audacia.

Quo hodie igne nonnulli ardeant.

demeriti in humanis actibus &c. Est etiam amumeranda inter extraneas Philosophia opinionones, quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia Philosophia moralis &c. Hæc ille.

**V.**  
Pontificum decretis ostenditur, in natura lapsa dari libertatem indifferentiam.

Michaël Baius propositiones suas retractavit.

**VI.**  
Romanenses semper quædam propositionum Baii reliqua.

Innocentii X. statutum contra Iansenium

Jam verò solam immunitatem à coactione ad libertatem non sufficere, constat ex Bullis Pii Quinti, & Gregorii 13. in quibus hæc Michaëlis Baii propositiones damnantur: *Quod voluntariè sit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen sit.* Item: *sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Ista denique, *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessariò facit.* Baius ubi has & alias suas propositiones à sede Apostolica improbatas, & sub gravibus etiam censuris ac pœnis interdictas vidit, summorum se Pontificum decretis, magnà sui laude, honorumque omnium gratulatione & applausu submitit, dictasque propositiones retractavit, suo nimirum approbare nolens, quod summi tribunalis calculo videbat rejectum.

Sopita tamen solummodo tunc est, non extincta flamma, & quædam adhuc abdite latebant scintillæ, quæ ope Iansenii erumpentes ingens tandem excitarunt incendium, quod magnam Europæ partem corripuit, donec grassanti jam invalescentique in dies, obviam eundem ratus Innocentius X. tum alia, tum hoc Iansenii effectum proscripsit: *Ad merendum & demerendum in statu natura lapsa non requiritur in Homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione:* hanc propositionem, inquit Pontifex, *Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Pontificio ergo oraculo sancitum est, ad libertatem, merendi que ac demerendi potentiam, requiri immunitatem à necessitate, nec sufficere immunitatem à coactione: Id Pius, id Gregorius, id Innocentius declarant. Huic proinde veritati refragari salvâ fide nullus potest.

SECTIO QUARTA.

Conciliorum auctoritate ostenditur, in hominibus post lapsum manere libertatem indifferentiæ ad bonum & malum.

**I.**  
Libertatem per peccatû Adæ perisse docent S. Bari.

**II.**  
Quo pacto juxta Iansenium hominibus in statu natura lapsa indubia sit necessitas.

**H**ÆRETICORUM dogma est, libertatem indifferentiæ ad bonum & malum per peccatum Adæ in nobis esse sublatam, eamque Divi Augustini mentem esse contendunt. Tantundem præstat Iansenius; licet rem hanc modo nonnihil ab iis diverso explicet, quem etiam ex S. Augustino se hausisse dicitur. Alia tamen longè hac in parte est mens Divi Augustini, ut mox ostendam, quam vel non intellexit ille, vel, ut aliqui putant, malâ fide dissimulavit.

In eo ergo fixus & firmus est Iansenius, nempe per Adæ peccatum amissam in hominibus in hoc statu esse libertatem indifferentiæ ad bonum & malum: unde quicquid boni fit, ex gratiâ necessitante fieri affirmat; quicquid mali, ex necessitante concupiscentiâ liberè; nihil. Si ergo absit auxilium necessitans, quod gratiam medicinalem appellat, suoapte, inquit, nutu & naturâ corrupta pondere, ad malum quisque ita fertur, vel ineluctabili quadam vi rapitur potius, ut ab eo abstinere omnino non possit, sicque per primi parentis peccatum, loco libertatis ortam in nobis esse docet peccandi necessitatem: sui verò adit gratia, ita ejus vi ad

bonum impellimur, ut quantumvis quis velit, à benè operando cessare nequeat. Hæc ille: ex quibus concludit, nullam in naturâ lapsâ esse in hominibus libertatem indifferentiæ.

Sed hæc doctrina hæretica est, & in variis Conciliis ante natum Iansenium condemnata, in Concilio nimirum Senonensi, Colonienfi, & aliis. Concilium verò Araucanum can. 25. expressè docet posse hominem baptizatum, si velit, benè vivere: potest verò etiam non benè vivere, ut quotidianâ constat experientiâ, nimis enim frequenter varios cernimus gravi admittentes facinora, & in omni se vitiorum cœno volutantes, pecudum similiores quàm hominum. Velle ergo potest homo & non velle, benè vel malè vivere, quæ est libertas indifferentiæ.

Rem tandem hanc, hominibus scilicet in hoc statu inesse libertatem indifferentiæ, multò clarior tradit Concilium Tridentinum: sessione enim 6. can. 5. sic habet: *Si quis liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum, amissum, & extinctum esse dixerit &c. anathema sit:* quo fulmine conflagravit penitus istud adversariorum commentum, & in cineres est redactum. Nec ad hoc Concilii pronuntiatum effugiendum sufficit, quod respondent aliqui, solum scilicet damnare Concilium eos, qui in nobis negant dari libertatem à coactione, non à necessitate: contrâ enim est manifestè; hoc namque decretum adversus Lutherum & alios sancitum est: hi autem libertatem à coactione non negabant, sed solum à necessitate, seu libertatem indifferentiæ, & hoc nomine illos damnat Tridentinum, & consequenter eos omnes, qui horum vestigiis insistentes, hominibus in statu naturæ lapsæ negant libertatem indifferentiæ.

Secundò hoc idem docet Concilium eadem sessione can. 6. *Siquis, inquit, dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere &c. anathema sit:* ergo juxta Concilium non habent gratiam illam necessitantem Iansenii, huic siquidem secundum illum resistere homines non possunt, ac proinde nec vias suas facere malas.

Tertiò denique eandem veritatem apertius adhuc tradit, & libertatem indifferentiæ in nobis stabilit ibidem Concilium can. 4. ubi sic loquitur: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti &c. neque posse dissentire, si velit, &c. anathema sit.* Ex quibus conficitur primò, gratiam, quam Deus hominibus ex suâ benignitate jam largitur, non esse illam necessitantem, cum huic juxta Iansenium resistere nemo possit, nec illi dissentire. Deinde cum dicat Concilium, posse hominem Deo excitanti & vocanti assentiri & dissentire, apertè in nobis astruit libertatem indifferentiæ: quod etiam clariùs adhuc docet sess. illâ 6. cap. 5. ubi cum dixisset hominem Dei gratiâ liberè assentiri, ait posse eum gratiam illam abicere: ergo hæc gratia ad assensum non necessitat, sed integrum cuique est, vel assentiri illi, vel non assentiri, & abicere, ergo in hoc statu circa bonum & malum habemus libertatem indifferentiæ.

Conciliorum ergo decretis sancitum videmus, liberos nos esse, non à coactione tantum, sed etiam à necessitate, quorum quisquis auctoritati refragatur, nã is Catholicus nomen non meretur. Nunc Sacrarum Literarum testimoniis eandem veritatem firmemus.

**III.**  
Docent Concilia homines in statu natura lapsa habere libertatem indifferentiam.

**IV.**  
Iansenii doctrinam libertatem in statu natura lapsa habere libertatem indifferentiam.

Proferuntur Concilia in quibus libertatem ad demerendum coactione.

**V.**  
Docent Concilia homines in statu natura lapsa habere libertatem ad demerendum coactione.

**VI.**  
Libertatem indifferentiæ apertè ex Concilio Tridentino.

Ita Divi Augustini assensum præstat homo, ut si non præstat.

**VII.**  
Conciliorum decretis refragari Catholicum nomen non meretur.